













CONCILIUM

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

Polisium Roberti Bellmanni libri duobus  
de Concilio scripti

IN CELEBRATISSIMA ACADEMIA WITTENBERGENSI

DR. PAULI ROBERTI SS. TH. D.

& P. P. celebrissimi, Professoris & Superintenden-  
tis in Circulo electorali Generalis vicanii, sive  
Circuli ecclesiastici Altonae gratissimi, Dr. Pauli  
Roberti Professoris omnium observationum in  
studios deventurum  
Publicae auctoritate depositariae videntur

In Prolato Bucherische Solennitate obitus V. Choris  
prope Lippin am 10. Julii 1784. editum  
Lipsiae in typographia Johannis Neubergeri  
nona impressione in fine

M. JOACHIMO CRISTIO Hillenb. Saxone

Ex Officina Typographica JOHANNIS ROBERTI  
anno MDCCLXXXII







כָּשָׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ :

P R O O E M I U M.



Uemadmodum Deus ter Opt. Max. Impiorum colluuiem non in nomine Christi, sed aliis aliisque; de causis adeoque; in nomine Diaboli, vel ad Idolomanias propagandas, vel novas hæreses introducendas, ita ut Deo suus non obferatur honor, congregatam, serio & ex animo averfatur, dicente Ipso per Prophetam *Amos cap. 5, 31. Odi, sperno dies festos vestros; Vestros, inquam, qui ferias non ritè celebratis, sed Idololatriam verum DEI cultum corrupistis, nec eum in finem, quem debetis, ut piè vivatis & honorem DEI magis magisque; amplificetis, sacra hæc instituitis exercitia: Ita ex opposito Piorum, qui finem hunc unicè sibi habent propositum, ut DEI gloria adaugeatur, mala quævis & hæreses radicitus evellantur, delectatur consortio, gratiosamque sui indubitanter *Matth. 18, 20. pollicetur præsentiam, se videlicet, ubi duo etiam vel tres tantum in nomine suo congregati fuerint, in medio eorum affore.* Hæc ut in genere de quibusvis, vel in laudis DEI decurtationem vel ejusdem augmentationem, susceptis locum habent congressibus: ita haut immeritò de Conciliis legitimè secusvè convocatis, pronunciari poterunt. Conciliorum autem (legitimorum) Senatus, non humani ingenij sagacitate inventus, sed à Deo ipso sapientissimo Consilio institutus, *Num. 11, 16. ad oculum ostenditur. Quippe Senatus ille, voce corrupta Sanhedrin, hoc est, סנהדרין nuncupatus, qui ad Conciliorum natu-**

A 2

ram



ram quam proximè videtur accedere, perpetuum ex Theo-  
logis & Politicis putatur fuisse Concilium: ad quem mo-  
dum Reges Pii ac Principes in rebus fidei dubiis, contro-  
versis articulis, hæreticis hæresibusq; enascentibus, suas sub-  
sequentibus temporibus conformarunt synodos in Veteri, si-  
mulq; Apostoli in Novo T., quemadmodum exemplum Act.  
15. illustre habemus. Qui conventus, ut & insequentia post  
Christum natum coacta legitimè Concilia, eidem quam pro-  
ximè respondent. Imperator enim, Reges & Principes con-  
vocant: Ipsi vel alii Politici Judices cum Sacerdotibus præ-  
sunt: non juxta affectus, sed ad Normam Scripturæ sacræ  
judicant: Conciliorum autoritas non supra Verbum DEI  
Sacrosanctum ponitur: nec dogma novum vel cultus, Vo-  
luntati divinæ in Lege & Evangelio revelatæ è diametro  
oppositus, cuditur, sed omne ad Exemplar Synodi Apostolicæ  
peragitur. Quæ omnia Papistarum Conciliabulis, minusq;  
legitimis congressibus, ne ullo quidem convenire modo  
possunt, utpotè qui Concilia, in fide moribusq; simul, Pon-  
tificis ratificatione & approbatione suffulcita, pristinam Co-  
mitiorum autoritatem jactitantes, errare posse pernegant,  
quæ tamen non eo, ut Apostolorum, modo, sancta sunt, pa-  
cifica & sine prædominantibus affectibus: sed impia, se-  
ditiosa & carnalibus Consiliis plena, imò tyrannica sæpè &  
à fide tum Christianâ tum politicâ aliena, quorum Canoni-  
bus decretisq; novi subinde inveci in Ecclesiam erronei &  
Scripturæ contrarii articuli, Idolomania & horrendarum  
superstitionum moles, iisdemq; unâ cum Patrum Diabolico  
more allegatorum scriptis, Scholasticorumq; lacunis, pa-  
trocinium dant, & simplicioribus rudivè plebi palpum fa-  
ciant, in errores & tantum non in barathrum æternum  
dejiciunt. Cum itaq; Concilia, ea quâ par est, ratione con-  
scripta, Deo autore gaudeant, & apud pios quoscunq; ma-  
gnificent: Pontificii verò suorum Conciliorum auctoritate  
oculos imperitorum perstringere satagant; Opera pretium  
facturos nos existimavimus, si hanc materiam, sanè gravissi-  
mam.



mam & arduam, sub disquisitionem revocaremus. Cæte-  
rum ut perspicuè progrediamur, de sequentibus agemus ca-  
pitibus. 1. de Etymo & Conciliorum natura. 2. De eorum  
Causis. 3. De Divisione. 4. De nonnullis Aphorismis. Sit  
ergò DEO dirigente:

## CAPUT PRIMUM.

Concilij vox ad duplicem refertur §. 1.  
Etymologiam: dicitur enim vel à Con-  
vocatione hominum, vel à Conciliatio-  
ne opinionum dissidentium, aut etiam  
quali Consilium.

\* A Convocatione quando dicitur, deducitur vel à ver- §. 2.  
bo Concire, quod est propriè de loco movere, ut *Isidorus Ori-  
gin. lib. 6. c. 16.* inde deducit: vel, & rectius à concalando cum  
*Festo, de verb. signif.* Ut enim calare Antiquis erat vocare,  
ab Hebræo קָרָה unde & Græcum καλέω: Ita concalare  
idem notabat, quod convocare. Inde Concilium est quasi  
Concalium, quod è variis locis diversi homines in unum con-  
vocentur. Hoc vocabulum aliquoties à Vetere Veteris Te-  
stamenti Interprete pro Congregationibus ac solemnitati-  
bus Israelitarum, quando hæ duæ voces קָרָה & עָרָה in fon-  
tibus reperiuntur, sumitur, utrumq; autem pro Ecclesiâ ipsâ  
ut plurimum accipitur. \* Hebræi aliàs conventus illos de §. 3.  
nominare solent à Tempore & Cætu hominum. Quando à  
Tempore; Ecclesiastici congressus vocabantur מועדים  
quod solennes conventus certo tempore publicè indictos  
denotat, à radice עָרָה autoritate publicâ indicere & signifi-  
care locum vel tempus, ubi aliquid vel quando fieri debeat,  
sicut Novilunium clangore buccinæ indicebatur, *Num. 10,*  
*10. Psal. 74, 8.* Ab hominum frequentia dicuntur עָרָה congre-  
gatio.



gationes vel cœtus à radice eadem, & tam de Congregatio-  
ne bonorum *Psal. 1, 5.* quàm Impiorum, ut de colluvie Core  
S. 4. & Sociorum, *Num. 16, 2. Psal. 106, 17.* \* Posterior Etymologia  
ratio à scopo est desumpta, quoniam in Conciliis opinionum  
dissidia debent tolli. Vide *dist. 15. cap. Canones* (ex *Isid. l. 7.*  
*etym. c. 16.*) ubi dicitur: *Concilii v. nomen tractum est ex more*  
*Romano: Tempore enim, in quo causa agebantur, conveniebant*  
*omnes in unum, communiq; intentione tractabant. Unde Conci-*  
*lium à communi intentione dictum quasi Consilium &c.*

S. 5. \* *Græcis à Congressibus appellatur συνέδος*, quæ vox  
in Scripturâ sacrâ quoad literas totidem non habetur, cui  
tamen respondet vox ἐξόδιον *Deut. 16, 8. Lev. 23, 36. 2. Par. 7, 9.*  
quam alii, ut *Lutherus* congregationem, alii ut *Hieron. 2. Par.*  
*2, 7.* collectam vertit, & accedit ad συνέδον & συνέδιον, quia  
plurium in unum locum συνέδος & congressus fieri nequit,  
nisi præcedat eorundem è propriis locis egressus seu ἐξοδος.  
LXX. habent voces ἐκκλησία, συναθροισμός & συναγωγή  
ad interpretationem חַדְרָא *Exod. 35, 1. Num. 10, 7. Deut. 31, 12,*  
*28, 30. חַדְרָא Exod. 35, 1.* Ecclesiasticis scriptoribus dicuntur συ-  
αροτήσεις, σύλλογοι. *Canonistæ* habent vocem *Conciliabulum*,  
quod tamen tantum de illegitimis conventibus & Satanæ  
synagogâ exponunt, *dist. 17. c. multis*; quod vocabulum La-  
tinis propriè *Cic. 1. de divin. Liv. 25. Plaut. in Trinum. Festo lib. 3.*  
est locus in quo conventus habetur.

S. 6. \* *Concilia*, in genere alia sunt *Politica*, alia *Ecclesiastica*.  
Illa *Cic. 3. de Legib. in XII. Tab. Cas. 2. bell. civil. comitia* vo-  
cantur. Hæc cæteribus Ecclesiasticis competunt, & rursus in  
triplici sunt differentiâ. 1. sumuntur κοινῶς de quovis conventu  
Ecclesiastico, quo fideles in nomine Christi conveniunt ad  
communem suam ædificationem, *Matth. 18, 20.* ut de con-  
gressu Mariæ, Elizabethæ & Zachariæ *Luc. 1.* & de Mago-  
rum ad præsepia Christi conventu *Matth. 2. & Luc. 24. ult.*

S. 7. \* 2. ἰδίως, de sollemioribus congregationibus, in primis de  
ternis illis anniversariis, in unum locum divinitus destinatis,  
quarum una in Paschatos, altera Pentecostes, tertia Taber-  
nacu-



paculorum solennitate fiebat, ad verbum Domini *Exod. 23. Deut. 16.* in quibus ad docendam & discendam veram religionem, gratias Deo pro beneficiis acceptis agendas, & preces pro ulterioribus impetrandis conjunctis votis fundendas, conveniebant, quæ tamen Concilia propriè ita dicta vocari non possunt, cum non de disceptandâ Religione, vel judicio de disciplinâ & ritibus Ecclesiasticis faciendo, conventum sit. Quod etiam alii conventus Ecclesiastici pertinent, tum *ordinarii*, qui statò cujuslibet septimanæ die, aut etiam singulis diebus fiunt, suntq; tum Conciones sacræ, tum Scholæ bonarum literarum. *Conciones* sunt cœtus fidelium, qui ad exercendum cultum Dei religiosum conveniunt. *Scholæ* sunt cœtus, in quibus Juventus piè docetur & discit artes liberales, & imprimis salvificam è verbo Dei doctrinam, ad veræ Ecclesiæ & religionis conservationem & propagationem. Tum *Extraordinarii*, qui ob aliquam evidentem necessitatem præter ordinarios conventus instituuntur. Et sunt vel *Consistoria*, quæ sunt cœtus, in quo unius Ecclesiæ Presbyteri (ad id deputati Theologi & Politici) conveniunt ob certa negotia Ecclesiastica, matrimonialia, similiaque ipsis commissa; Vel *Colloquium Ecclesiasticum*, in quo vicinarum Ecclesiarum deputati conveniunt, ut de negotiis Ecclesiam spectantibus colloquantur & deliberent. *Plur. Rever. & Excell. Dn. D. Jacobus Martini Præcept. ac Prom. ævit. honor. in syst. Theol.* \* 3. *idicavitæ, de Conciliis Ecclesiasticis propriè ita dictis.* S. 8.

\* Concilium Ecclesiasticum est Conventus publicus, vel à Magistratu publico vel de communi Ecclesiæ consensu indictus, in quo Viri Pii, Eruditi & Graves ab Ecclesiis ex omnibus earum ordinibus ritè vocati ac delegati, de rebus facris S. 9.



sacris & ad fidelium totiusq; Ecclesiae  
aedificationem pertinentibus, ex Verbo  
Dei judicant, ut Dei gloria promovea-  
tur, salutaris fidei doctrina adversus  
haereticos asseratur, publiciq; conven-  
tus ac consensus testimonio compro-  
bentur, & disciplina Ecclesiastica recte  
constituatur & conservetur.

## CAPUT SECUNDUM.

- §.1. \* Definitio est Causalis, ideoque omnes causas complectitur: Efficientem, Materialem, Formalem, Finale; & proinde etiam in causas resolvenda.
- §.2. \* *Efficientis* nomine hoc loco designantur *Persona*, quibus jus vel potestas convocandi synodum jure divino competit. Diligenter autem distinguendum est inter statum Ecclesiae N. Testamenti, quae olim Magistratu Christiano constituta: & statum Ecclesiae, quae postea hodieq; Magistratu Christiano constituta.
- §.3. \* Destituta fuit ad Constantinum usq; M. qui Christianam religionem amplexus, anno 312. & primus Imperator est, qui Ecclesiam a persecutionibus respirare fecit. (De Philippo enim Arabe suus dicendi locus.) Ante hoc tempus synodum Episcopi quivis, nulla Romano Praesidi *πατριάρχῃ* aut *πρωτεύει* relicta, convocarunt quemadmodum illud ex Conciliis in prioribus post C. N. celebratis centenariis demonstrari potest.
- §.4. \* Magistratu  
Chri-



Christiano constituta est Ecclesia ab illo Constantini M.  
tempore, sicut hodiè floret: ubi jam non amplius Episcopi  
sibi solis jus cogendi Synodos, excluso Magistratu Politico  
vendicarunt, ut moderno tempore facit Papa Romanus: nec  
etiam Imperatores Episcoporum vota planè aspernati sunt:  
sed manente Magistratu Politico mandandi cogendiq; po-  
testate, Episcopis sententiarum libertate, ad Concilium per-  
venerunt. Convocandi ergo potestas ad Magistratum Po-  
liticum transiit, qui vel supremus vel inferior. \* *Supre-* §. 3.  
*mus Magistratus*, isq; simpliciter supremus, qui nullum agno-  
scit superiorem. *Inferiores* sunt Principes & alii in eminentiâ  
constituti, quorum quisq; pro ratione sui gradus Particula-  
ria conscribere, vel suis votis ac conjunctione Universalia  
juvare ac constituere potest. *Cause adjuvantes* sunt Eccle-  
siarum Antistites, quorum opera quantum religionem, offi-  
cium, atque ipsorum Professionem attinet, omninò requiri-  
tur. \* Hoc planum reddi potest per Exempla sacra, Ec- §. 6.  
clesiastica, & Rationes. *Moses* in integro populo diversarum  
tribuum primus Concilium repurgandæ Religionis ergo,  
jussu divino, cum Lex promulgaretur, instituit, *Exod. 19.*  
*seq. cap.* sic idem *Moses* contra *μωροποιαν* Aaronis, omnem  
turbam filiorum Israel congregavit, *Exod. 35. Deut. 31. 32. 33.*  
*cap. Josua* synodum convocavit, *Jos. 24. Samuel* in Misphâ,  
*1. Sam. 7. David, 1. Paral. 13, 1. cap. 16, 4. Salomon 1. Reg. 8.*  
\* Unde videmus convocandi potestatem inde ab initio uf- §. 7.  
que penes Sacerdotes & Episcopos non fuisse, sed penes Du-  
ces populi, *Mosen & Josuam*, penes Judices & Reges, ut et-  
iam *Elias* Propheta impii & Idololatrici Regis *Achabi* in  
convocando populo, sacrificulisq; *Baaliticis* citandis, im-  
ploraverit. \* Illud ipsum demonstratur *Exemplis Ecclēstia-* §. 8.  
*sticis*. Et primum quidem *Concilium Oecumenicum Niceæ* in  
*Bithyniâ* *Constantini Magni Imperatoris* tempore, in quo  
erant Patres 318. convenerunt adversus *Arrium*, non à  
*Sylvestro Romano Episcopo*, sed à laudato Imperatore con-  
vocatum est, testibus *Eusebio lib. 10. cap. 6. Socrate, de vit. Con-*  
*stant.*



stant. l. 3. c. 6. Theodoro l. 2. c. 4. Secundum Oecumenicum habitum est Constantinopoli contra Macedonium, cui interfuerunt 150. Patres, convocante Theodosio M. non Damaso, Theodor. l. 5. c. 7. Tertium Oecumenicum numeratur Ephesinum Magnum, collectum à Theodosio II. & habitum à 200. Patribus adversus Nestorium, in quo Cyrillus quidem functus est partibus Romani Episcopi, non tamen ille nec Pontifex Romanus Episcopos reliquos compulit ad synodum, teste Niceph. l. 14. c. 34. Quartum Oeconomicum Chalcedone celebratum est Imperatore Martiano, non Leone Papa, quo tempore convenerunt Patres adversus Dioscori & Eutychetis diversa dogmata. In horum nullo Pontificis, quam jactat, in conciendo autoritas, emicat. \* Quibus modo dictis Rationes sequentes astipulantur. Quia 1. Jurisdictio hujusq; actus Imperandi & convocandi nulli Pastorum per se competit, Luc. 22, 25. 2. Quia Magistratus officium est, ut verbum pure tradatur, hæreses extirpentur, pax & Ecclesie tranquillitas conservetur, prospicere, 1. Tim. 2, 2. 3. Ab amplitudine potestatis supereminens, quod omnes Magistratui debeant obedientiam Rom. 13, 4. 4. A generalibus convocationis Concilii requisitis, quod Summus Magistratus possit imponere necessitatem conveniendi & Salvum præstare Conductum. 5. A speciali requisito convocationis, quod habeat Magistratus Politicus *νομοθετικῶν* externam circa res & personas Ecclesiasticas, quatenus cætus est Ecclesiasticus, nam bonum ad quod parandum & conservandum minister DEI est Magistratus Rom. 13, 4. non tantum est civile, sed etiam Ecclesiasticum. \* Inferiores Magistratus convocandi Concilia particularia, jus, potestatem auctoritatemq; habent, cum Princeps, suo modo tantum valeat in suo territorio, quantum Imperator in imperio. \* De causâ Efficiente Adjuvante, Episcopis & Ecclesiarum Antistitibus, probatur, quod Amarias Pontifex jussu & consilio Josaphati perpetuo illi Synedrio Hierosolymitano præstitutus fuerit, 2. Paralipom. 19, 11. In Novo Testamento est Legatio seu *πρεσβυτεριον* Antio-



Antiochenorum à Paulo ac Barnabà suscepta celebriterque obita *Actor. 15, 2.* quò pertinet, quod scientiam ac legem ex ore Sacerdotis requirere jubemur, *Malach. 2.7.* quod Ministrorum Ecclesiæ sit curare, ut *ἡ ἀποτύπωσις τῶν ὑγιαίνοντων λόγων* sarta tecta custodiatur, *2. Tim. 1, 19. Tit. 1, 9.*

\* Solidæ huic nostræ sententiæ de Conciliorum causâ §. 12.  
Efficiente refragatur in suis *de Conciliis* consarcinatis libris l. i. c. 12. *Bellarminus*, qui cum reliquis conjuratis fratribus, Papæ Romani mancipiis, Pontifici Romano potestatem & jus cogendi Concilia unicè tribuit. Verùm quicquid dicant, Autoritatem hanc Papam de facto sibi rapere certum est. Aut enim dicat, se illam habere à DEO, aut à Magistratu Politico. At nullis, neque hoc neque illud probare potest certis documentis: quapropter utriusq; Juris & Ecclesiastici & civilis perturbatorem & everforem opidò se prodit, dum autoritatem hanc sine ullo etiam prætextu juris sibi vendicat. Contrarium enim satis superq; ex historiis claret, Imperatorum, ut superius evictum, non Papæ olim fuisse, Concilia congregare, & suo etiam tempore congregasse. \* Quibus non parùm lucis addit *petitio Leonis Romani Episcopi* §. 13.  
*supplex*, quando ad Theodosium in *Epist. 9.* ita scribit: *Unde si Pietas Vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubentis Episcopale Concilium &c.* Ubi nil sibi nisi admonitionem, suggestionem & supplicationem tribuit: autoritatem verò jubendi Imperatori relinquit, neque tamen quod petiit, ut fieret, impetrare potuit. Nam apud Ephesum Imperator constituit synodale Concilium, ut constat ex *Leonis Epist. 10.* Et hæcenus de Causa Efficiente.

\* Materiam Conciliorum seu Sub- §. 14.  
jectum, constituunt nobis Homi-  
B 2 nes



nes seu Personæ, è quibus Concilia constare, quæq; illis jure interesse debent. Suntq; vel Ecclesiasticæ vel Politicæ seu Seculares. Illos Pontificii Clericos appellant, hos Laicos, nos usitatè Doctores & Auditores.

- §.15. \* *Materia* in descriptione his verbis exprimitur: *In quo viri Pij, Eruditi & Graves ab Ecclesiis ex omnibus eorum ordinibus ritè vocati ac delegati.* Viri non fœminæ materiam hanc constituunt, nisi forsan Extraordinariè à DEO vocatæ, aliàs Mulier in Ecclesiâ taceat *1. Corinth. 14. 34, 35.* \* *Ratione Materia* Concilium *dividi* potest in Caput sive Præsidentem aut Directorem, & membra cætera seu partes sive Adfessores.
- §.17. \* *Præses* (post Principalem vel Summum Præsidentem qui ponit legem Conscientiis, ut secundum nutum & verbum suum unicè pronuncietur, Christum videlicet & Spiritum ejus sanctum, quia in illius nomine congregamur, qui etiam supremus Judex Controversiarum est; vocem enim Christi audire unicè jubemur, *Matth. 3. 17. cap. 17. 5. & Spiritus nos in omnem Veritatem deducit Johan. 16. 3.*)
- §.18. *est duplex, Ecclesiasticus & Politicus.* \* *Ille* est ex numero Episcoporum vel Pastorum, qui à toto Collegio communibus suffragiis ad id munus eligitur & constituitur, auctoritate, pietate & eruditione Theologicâ maximè conspicuus, *qui potens est in scripturis & sensus in iis habet exercitatos Ebr. 5. 14. vitæ sanctitate celebris, Tit. 1. 8. prudens & zelo Dei ac salutis hominum, nec nō amore veritatis divinæ & pacis Ecclesiasticæ flagrans, qui liber est, & nulli vel personæ vel Ecclesiæ in pronunciandâ sententiâ, sed soli Deo ejusque verbo obstrictus.*

*Officium*



\* *Officium* ejus est, Quæstiones & agenda proponere, col- §. 19.  
loquia & disputationes moderari, sententias interrogare,  
Notariis adhibitis colligere, in acta referre, & totam illam  
Ecclesiasticam actionem juxta leges Synodicas dirigere.  
\* Unde consequitur, *Romanum Pontificem in Generalibus* §. 20.  
*Conciliis Præsidentem non esse*, quoniam à nullo unquam ad hoc  
officium est electus, neq; ullum Præsidentiae Privilegium,  
à Christo consecutus est, *vel potestatem, neq; Jus Præsidentis*  
*in Conciliis Oecumenicis habuisse*. Nam Concilio Niceno præ-  
fuit Eustathius Episcopus Magnæ Antiochiæ. Constanti-  
nopolitanam Synodum moderati sunt Timotheus Alexan-  
drinus & Cyrillus Hierosolymitanus, *Socmt. l. 5. c. 8.* Ephe-  
sinam gubernavit Episcopus Alexandrinus. \* Nec potuit §. 21.  
Papa tum temporis Præsidentis provinciam sibi arrogare,  
cum nondum fuerit (qualem nec hodiè agnoscimus) Oecu-  
menicus, neq; etiam ante Bonifacium III. Romanus Episco-  
pus titulum Universalis ac Oecumenici (super omnes ec-  
clesias) usurpare ausus fuerit. Si ergò Oecumenica ob Oe-  
cumenico Præsidente Pontifice Romano, ut Bellarmino pla-  
cet, sua fortiantur nomina, sequetur, aut nulla fuisse verè  
sic dicta talia Concilia; aut si talia fuerunt, ut fuerunt, jure  
Pontificio *dist. 19.* attestante, Romanum Papam ut Oecu-  
menicum Episcopum non præfuisse sequitur. \* Multò §. 22.  
minus hodiè, Jus, authoritas & Privilegium Præsidentis ei-  
dem conceditur, quia est REUS, de Idololatriâ accusatus,  
hæresibus innumeris, totius cultus divini profanatione & a-  
liis insignibus omnis generis criminibus à maximâ Chri-  
stianorum parte. In causâ ergò propriâ præsidere quo jure  
præsumeret?

\* *Præses Politicus* est Imperator, Rex, Princeps sive §. 23.  
summus Magistratus Christianus, cujus partes sunt, indice-  
re & convocare Synodum, Convocatam tueri, externam  
vim prohibere, *ἐπιταξίαν* curare, *ἀχρημοσύνην* prohibere,  
Præsidere, sed non ut *Judicem Civilem*, qui leges ferat aut con-  
troversias pro arbitrio dirimat, sed ut *servum Dei*, qui leges



- divinas verbo sacro præscriptas & ritè explicatas, tum sibi, tum aliis observandas proponat: Decreta legitimè facta & Legatorum subscriptionibus confirmata, suâ quoq; sancire, & in ditione, cui præest, stabilire: Ecclesiarum Legatos dimittere: & tandem decretis Concilij, seu legitimè factis, Rebellantes punire. Jus igitur pronunciandi ut sanctum quid, ad Patres Concilij; decreta autem sancienti, ad
- §.24.** Principes pertinet. \* *Reliqua, quæ ad Concilium convocanda sunt membra, vel sunt Primaria vel Secundaria. Primaria sunt Viri Plerate & doctrinâ præstantes, & qui ordinariam docendi potestatem & qui extraordinariam delegationem habent, qui, quamvis in cognitione causarum primas tenent partes, nō tamen pro iudicibus propriè ita dictis, sed potius pro divini iudicij in verbo Dei contenti Interpretibus, sunt habendi: quare absentes nec legitimè citatos & inauditos damnare non debent.* \* *Membra secundaria, itidem in duplici sunt differentiâ: vel enim nullam ab aliquâ Ecclesiâ ablegationem demonstrare possunt, nec publicâ aliquâ autoritate instructi sunt: habent tamen in religionis vel disciplinæ causâ aliquid animadversione dignum, quod proponere cupiunt, qui, si ordine iusto & decenter fecerint, rejiciendi non sunt, ad Exemplum Concilij Niceni, in quo Ethnici etiam Philosophi admissi sunt. Vel sunt merè privati, qui similiter removeri non possunt, sed licitum sit Laico vel infideli etiam in Concilio proponere, cum fieri possit, ut ædificandi sui causa adsint, modestè tamen ac pacatè agere tales oportet.* \* *Consequitur ergò ex omnibus Ecclesiæ ordinibus admittendos aliquos esse, cum in primis id evidentissimè etiam ex Synodo Hierosolymitanâ Act. 15. ab Apostolis celebratâ, videre sit; in qua non soli erant Apostoli, sed etiam Presbyteri Act. 16. 4. & Populus, Act. 15. 5. 7. 12. 22. 23. vers. quemadmodum expressa mentio fit Apostolorum,*
- §.27.** Presbyterorum & Ecclesiæ totius. \* *Huic Exemplo adduntur rationes sequentes: 1. quia Ecclesia debet representare Universam Ecclesiam & proinde constare ex omnium hominum*



nam ordinibus, hinc Concilium salutari solet Ecclesia re-  
præsentativa, non quidem quoad singula generum, sed ge-  
nera singulorum, quod constet ex omnibus ordinibus Eccle-  
siarum, ex Doctoribus scilicet & Auditoribus. 2. quia com-  
munis causa, qualis est fidei, communibus votis & viribus est ju-  
vanda. 3. quia sæpè unius hominis Laici sententia præposita est  
sententiæ totius Concilij, eò quod in scriptura magis fundata.  
Accedunt 4. dicta scriptura, 1. Pet. 3. 15. Act. 17. 11. 1. Cor. 2.  
15. c. 10. 15. c. 14. 20. 1. Thes. 5. 21. Phil. 1. 9. 10. 1. Joh. 4.  
1. Ebr. 5. 14. & c. Adhuc de Materia.

\*. Forma Conciliorum consistit in <sup>§.28.</sup>  
religiosâ Veritatis disquisitione in con-  
ventu & consensu illo à delegatis consti-  
tutâ, & decisivo iudicio, juxta normam  
& regulam Sacræ Scripturæ formato,  
ita ut non ipsi sed Spiritus S. per ipsos se-  
cundum Scripturam Sacram pronun-  
cians sit verus Judex. Admod. Rev. & Excel-  
Dn. Jacob. Martini in Part. Theol. disp. 29.

\*. Referatur huc descriptio Augustin. in 2. Tom. Epist. 152. §.29.  
quæ est ad populum Donatianæ factionis: Carthaginem ve-  
nimus & nos & Episcopi nostri, & quod prius volebant & indi-  
gnum esse dicebant, in unum convenimus. Electi sunt ex nobis  
& ex istis septem hinc & septem inde, qui pro causa omnium loque-  
rentur. Electi sunt alij septem hinc & septem inde, tum quibus,  
opus erat, consilium pertractarent. Electi sunt quatuor hinc &  
quatuor inde, qui gestis conscribendis custodes essent, ne ut falsa-  
rum aliquid ab aliquo diceretur. Dati etiam sunt à nobis & ab  
ipsis Notarij quatuor hinc & quatuor inde, ut bini cum exceptori-  
bus iudicis alternarent, ne aliquis nostrum se dixisse causaretur,  
quod non fuisset exceptum. Huic tantæ diligentia etiam illud  
est



est additum, ut non, & nos & ipsi, quemadmodum ipse iudex,  
verbis nostris subscriberemus, ne quisquam diceret in illis gestis ali-  
quid vel postea fuisse corruptum. Cum enim adhuc viventibus  
eis, qui subscripserunt, innotuerint eadem gesta omnibus locis, in  
quibus oportet ea innotescant, sic etiam ad posteros confirmata ve-  
ritas perdurabit. \* Magnam ergo Conciliorum legitimè  
§.30. omnibus requisitis accuratissimè observatis, convocato-  
rum, auctoritatem facimus, qualem etiam in V. T. Conciliis,  
& Novi Instrumenti Synodis celebratis, agnoscimus, eamq;  
hodiè deberi non negamus. Interim cum *Præsides Ministri*  
*tantum*, quibus non ex proprio cerebro, sed secundum Le-  
gem & Evangelium sententiam & iudicium ferre convenit:  
Concilio non credimus, nisi decisionum suarum verè & ci-  
tra fucum prætereundum possit ob signaculum, certoq; asseve-  
ramus, sententiam à Concilio profectam suadere tantum,  
non cogere posse, ministerialem non prætoriam aut dicta-  
toriam esse. \* *Rejetanea* proinde est *Pontificiorum* & *in-*  
§.31. *primis Bellarmini l. 1. de Concil. c. 18.* de Conciliorum formâ  
*opinio*, quam *duplicem* constituit, ita ut sit partim in modo  
sententiarum seu in officio & potestate Assessorum Concilii,  
partim in auctoritate Præsidis. Volunt enim Conciliorum  
decreta valere simpliciter etiam non additis fundamentis,  
quæ conscientias satisfaciant. Volunt sua decreta recipi ab  
omnibus, nec probari, an Scripturæ Sacræ auctoritate, vel  
aliâ veritati consentaneâ ratione stabilita sint, planè sicut  
Scabini sua decreta & sententias edunt, non additâ ratione  
decidendi. Et vociferantur Papistæ cum impiis *Ps. 12. 5.* La-  
bia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus? *Dn. D. Gesn. re-*  
§.32. *fut. l. 1. Bell. de Concil. c. 18.* \* Nec verum est quod *Bellarmini*  
loco mox adducto blaterat: In Concilio Hierosolymita-  
no non ex Scripturis sed ad suffragia Apostolorum defini-  
tam esse quæstionem. Expressè enim Jacobus inquit: *sicut*  
*scriptum est Act. 15. v. 15.* & de Petri assertionem testatur, τὸ  
σου Φωνῶσι, huic consonant verba Prophetarum. Et quamvis  
Apostoli non semper διαρρήδην & nominatim allegent Scri-  
pturam, nihil tamen extraneum dicunt, *Act. 26. 22.*

Finis



\* Finis Conciliorum est, ut Gloria <sup>S. 33.</sup>

DEI promoveatur: salutaris fidei doctrina adversus Hæreticos asseratur & publico testimonio comprobetur: disciplina Ecclesiastica pro temporum, locorum & Personarum ratione rectè constituatur, & sicubi ea lapsa sit, restituitur.

\* Fines hi ex Concilio Hierosolymitano stabiliuntur, in quo vera sententia de Lege Ceremoniali Mosis illustrabatur & Gentium ac Judæorum Ecclesiis explicabatur, Pseudo-item Apostolorum de operum merito deq; Mosai- carum rituum necessitate solidè refutabatur *Act. 15.* Præterea Idolothythorum, suffocati & sanguinis comestio, quæ gentibus ad Christianam religionem conversis in usu erat, prohibita est, sic etiam mores isti, quod scortationem simplicem pro peccato non haberent, castigati sunt. \* His <sup>S. 34.</sup> finibus *Bellar. lib. 1. c. 9. de Concil.* alios novos assuit. Convocari enim astruit, 1. *ob Schisma inter Romanos Pontifices abortum.* Schisma autem appellant Pontificii, quando duo vel plures de Romano Pontificatu contendunt. Sed quia hoc ad unam Ecclesiam, in quâ Magistratus Politicus cum Presbyterio & Populo facultatem eligendi & vocandi Episcopum habet, pertinet, aliarum votis non est opus. 2. *Causam esse dicit resistentiâ communi hosti (ut loquuntur) totius Ecclesie;* Verùm Episcopis gladius & arma bellica commissa non sunt sed prohibita, *Luc. 22.* deliberent ergò illi, quibus de jure competunt, Magistratus nempe Politici *Rom. 13.* 3. *Imperatorum depositio.* Digna sanè laude Pastoralis hæc modestia, hanc scilicet sibi sumere potestatem, quæ tota est ordinis Secularium! Id scilicet Petrus, id Episcopi primitivæ Ecclesiæ factitarunt! 4. *Hæresis in Papâ suspicio.* Sed Papam <sup>S. 35.</sup>  
C supra



supra Concilium lib. 2. de Concil. à c. 13. seq. constituit, qui ergò Concilio potestatem cognoscendi de hæresibus Papæ tribuere potest? quæ hæc causa? qui finis? §. *Dubitatio de Electione Romani Prasulis.* Solutio ex responsione ad primum sumitur: Judicet Romana Ecclesia de suo noviter, quem elegit, Episcopo, nec opus erit Concilio. Et tantum de causis.

### PROISMA.

§. 35. Concilia habent quidem suam utilitatem, simpliciter tamen non sunt necessaria.

§. 36. \* Si enim absolutè & simpliciter essent necessaria, adeò ut Ecclesia omninò carere iis non posset, sequeretur ea necessaria esse 1. *Necessitate mediij*, quod ἀπορον, quia sic major Conciliis quàm Scripturæ Sacræ assignaretur utilitas, insuper *Scriptura argueretur insufficientie ad refutandas hæreses*, nisi in supplementum quasi accederet Conciliorum autoritas: quæ tamen est sufficientissima, cum ad Legem & testimonium, tanquam ad unicum Lydium lapidem, exigere omnia jubeamur 1. *Job. 4. Gal. 1. 1. Cor. 3. Es. 8. 20. Job. 5. 39. Matth. 4. Et Obscuritatis*, quæ tamen est ludicissima *Pf. 19. 9. 119. v. 105. Prov. 23.* Et reclamant ipsa Experientia, quod solâ solâ Scripturâ Sacrâ, nullâ adhibitâ Synodo Oecumenicâ, quâ plurimis annis à Nativitate Christi, sufficienter hæretici à Christo, Apostolis, discipulis & Patribus refutati sint; ut *Pharisei & Saducei, Matth. 22. Simon Magus, Act. 8. (omnium in N. T. hæreticorum πατὴρ καὶ ἀναρχὸς, Euseb. l. 2. c. 14.) Hymeneus & Alexander 1. Tim. 1. 20. Phygellus Hermogenes, 2. Tim. 1. 15. Philetus, 2. Tim. 2. 17. Diotrephes Φιλοπρωτεύων 3. Joh. v. 9. Nicolaitæ Apoc. 6. Insuper Menander, Cerinthiani, Ebionæi, Saturniniani, Samosatæniani, Basilidiani, & multi alii, gladio verbi, citra Conciliorum universalium subsidium.*

§. 37. \* Sequeretur 2. *necessaria esse, Necessitate mandati:* sed ne jota in N. T. habemus, quia semper ad Scripturam remitti-



mittimur, *Job. 5. 39. Es. 8. 20.* \* Sunt autem necessaria *Ne- § 38.*  
*cessitate*, ut vocant, *Expedientia*, ut finis, qui à Christianis sin-  
gularim ex Scripturis haberi potest, ab iisdem conjunctim,  
per unicum illud controversiarum decidendarum princi-  
pium, Scripturam Sacram, melius acquiratur. *Adm. Rev. &*  
*Excell. Dn. D. Henricus Höpfnerus disp. de Concil. pecul.*

\* *Absurdus* igitur *Berllarminus* est & turpiter sibi contra *§. 39.*  
*dicit lib. 1. de Concil. c. 10. & 11.* Nam in vestibulo *cap. 10.* ab ini-  
tio concedit, Concilia Generalia, ob aliquas, quas allegat,  
causas absolutè & simpliciter necessaria non esse: in *capitis*  
*undecimi* verò principio ita differit: *Quamvis autem generalia*  
*Concilia non sint absolutè necessaria, tamen Concilia aliqua, sive*  
*generalia, sive particularia sint, omninò necessaria esse ad bonam*  
*Ecclesie gubernationem, vix in questionem revocari posse dubito.*  
*Manifesta Contradictio:* Nulla Concilia generalia sunt ne-  
cessaria; Aliqua Concilia generalia sunt necessaria. Ma-  
jorem Universalem non indeterminatam esse ex rationibus,  
quas *cap. 10.* allegat, ostenditur. \* Neq; propterea necesse  
est, ut in alterum cum *Nazianzeno Epist. ad Procop. cap. 42.* de-  
clinemus extremum, *qui Concilia omnia, quod nullius letum*  
*viderit exitum, videtur rejicere.* Atqui simpliciter accipien-  
da hæc non sunt, quia loquitur de sui temporis Concilijs, ubi  
plurimum premebatur Ecclesia. Deinde minus fausti isti  
Conciliorum exitus, alij *per se* erant & eveniebant in Con-  
cilijs *Arrianorum & Acacianorum*, errores suos magis ma-  
gisq; disseminantium: alij *per accidens*, in Orthodoxis qui-  
dem Concilijs, nec tamen finis apud omnes exoptatus, vel  
ob consultantium divisiones, vel ob adversariorum frequen-  
tiam potentiamq; expectari poterat. Et deniq; aliqua in  
substantiâ doctrinæ confirmandâ, salutarem fortiebantur  
exitum, quamvis in circumstantiis disciplinæ & quoad Epi-  
scopatuum administrationem ob *Φιλονικίαν & Φιλαρχίαν*,  
ut in Oecumenico secundo, dissensiones extiterint.

## CAPUT TERTIUM.

Dividuntur Concilia (*generalius loquendo*,) vel re- *§. 1.*  
spectu Autoritatis, vel respectu causarum. Priore mo-  
do



do sunt vel Canonica vel Ecclesiastica. Posteriore;  
vel respectu materiae, in Universalia seu *ὀικουμενικά* &  
Particularia seu *ὑπερμερικά*. Vide August. lib. 2. de bapt. contra  
Donatistas c. 7. & 9. vel respectu formæ & finis, in Legiti-  
ma & illegitima.

§. 2. \* Canonica sunt, quæ autoritatem reliquæ scripturæ ob-  
tinent, divinumq; habent testimonium, quod non errave-  
rint, qualia multa sunt in Testamento Veteri, ut à Mose Ex.  
19. seq. Josuâ, Jos. 24. Samuele I. Sam. 7. Davide, Salomo-

§. 3. ne, &c. & in Novo, Act. 15. \* Ecclesiastica sunt, quæ post  
Apostolorum tempora in Ecclesiâ sunt habita, & authorita-  
tem reliquis Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum libris  
majorem non obtinent, atq; propterea juxta Canonicarum  
Scripturarum ac Synodorum censuram & regulam æsti-

§. 4. manda sunt. \* Universalia seu Oecumenica sunt, quæ Uni-  
versæ Ecclesiæ nomine congregata sunt, & proinde ex o-  
mnium Orbis Christiani totius Legatis constant, unde Oecu-  
menicorum, Generalium & Plenariorum nomen accepe-  
runt. Est enim nihil aliud, ut supra etiam dictum, quàm  
plurium particularium Ecclesiarum, seu præcipuorum membro-  
rum è particularibus Ecclesiis congregatio, unde Antonius de Ro-  
sellis definit, esse collectionem omnium fidelium. Talia fuerunt  
Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedo-  
nense &c. \* Particularia sunt, quando ex certâ Natione &


§. 5. Provinciâ, itemq; Diœcesi conveniunt homines electi atq;  
idonei ad res sacras dijudicandas. Et hæc iterum dividi pos-

§. 6. sunt in Nationalia & Provincialia. \* Nationalia sunt, in  
quibus totius cujuscumque Regni vel Nationis, quoties con-  
troverfia aliqua fidei oborta, ejusmodi conventum majore-  
rem flagitat, Legati conveniunt. Et hæc aliquando κατὰ  
γενετικῶς vocantur Generalia, ut Africana & Toletana, quæ non  
ἀπλῶς, sed κατὰ τὴν, scilicet in Regno aut Regione aliquâ

§. 7. sunt Generalia. \* Provincialia sunt, in quibus unius  
duntaxat Provinciæ Legati conveniunt: tale quotannis  
à Metropolitanis in qualibet Regni Hispaniæ & Galliciæ  
Provincia celebrabatur, Canon. 3. Concil. IV. Toletani.

§. Legi.



\* *Legitimum* est, quod Legibus divinis in Scripturâ sacrâ à §.8.  
 Prophetis & Apostolis consignatis, per omnia est congruū.  
 \* *Illegitimum* est, quod ordini, legibus divinis consentienti, §.9.  
 adversatur, & Parasagma non synodus à veteribus nomina-  
 tur. Eadem etiam ratione in *Actis Apostolicis cap. 19. 32. 39. v.*  
 Lucas Ecclesiam aliam vocat *ἐνομοίον* legitimam, aliam *συ-  
 νεχουμένην* confusam. Qualia sunt *Pontificiorum Conciliabula*,  
 quæ non in nomine Christi, sed Diaboli potius congrega-  
 ta, autoritate non Christiani Magistratus sed Papæ, in quibus  
 non Scriptura sacra, sed Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex,  
 vice Christi, iudex omnium controversiarum, cui obtempe-  
 rare universa fraternitas debeat, *Bell. l. 1. de Concil. c. 11.* agnita  
 est. Non ex viris piis, eruditis & idoneis, sed ex manifestis &  
 religionis Christianæ conjuratis hostibus magnâ ex parte  
 constiterunt. Non in honorem Dei, nec dogmata fidei con-  
 firmanda, sed ad eadem evertenda (*Hinc est, quod hoc ge-  
 nerale Concilium (Constantiense) declarat, decernit & definit  
 contra hunc ERROREM, quod licet Christus post Cœnam insti-  
 tuerit & suis discipulis ministraverit SUB UTRAQUE SPECIE,  
 panis & vini, hoc venerabile Sacramentum: TAMEN HOC NON  
 OBSTANTE, sacrorum Canonum autoritas, & approbata Con-  
 suetudo Ecclesiæ, servavit & servat, quod hujusmodi Sacramen-  
 tum nec conficiatur post Cœnam, nec sumatur à non jejunis, nisi in  
 casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesiâ con-  
 cesso vel admissio & c. Et similiter, quod LICET IN PRIMITIVA  
 ECCLESIA hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus SUB  
 UTRAQUE SPECIE: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pe-  
 ricula & scandala, est rationabiliter introducta, quod à conficien-  
 tibus, sub utraque specie, & à Laicis tantum sub specie panis suscipi-  
 tur, cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, in-  
 tegrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quam  
 sub specie vini veraciter contineri) celebrata sunt: sed similia  
 sunt conciliis malignantium, *Pf. 22. 23. Impiorum, Pf. 1. 1.* quo-  
 rum cathedram *Jeremias cap. 15.* vocat *confessum* ,  
 quod à ludificatoriâ interpretatione nomen habeant. \* Cæ- §.101  
 terum *Falsus & Ridiculus est Bellarminus* cum suâ distinctione  
*lib. 1. de Concil. c. 4. quadripartitâ*, dum alia facit per omnia  
 proba-*



probata: alia per omnia rejecta: alia partim probata partim rejecta: alia nec probata nec rejecta. *Falsus*; quia eadem vult probari Concilia debere, quæ Romano Pontifici placent; cætera, quæ displicent, rejici: nam Canon, juxta quem spiritus omnium Conventuum examinari debet, *1. Joh. 4. 1.* non est Romanus ille cœtus, sed Scriptura *S. Act. 15. v. 15. Rom. 10. Gal. 2.* *Ridiculus*; dum asserit, dari Concilia quæ nec probentur nec improbantur: cum idem sit, ac si quis dicat: dari opiniones nec veras nec falsas; una tantum certa, perspicua & plana veritatis est regula, Scriptura *S.*, quæ cum eâ consentiunt, probantur, quæ dissentiunt, improbantur.

§. II. \* Cur autem talia nec probata nec improbata constituat *Bellar.* Concilia, in quæ *Pisanum lib. 1. c. 8. de Concil.* numerat, inter alia ratio hæc est. *Si enim dicat*, probatum esse; concedit Conciliorum autoritatem supra Papam esse: *si neget*; sequitur Alexandrum V. non verum fuisse Papam à Cardinalibus creatum, cum tamen Alexander VI. eo ipso, quod se VI. & non V. nominavit, testatum publicè fecerit, Alexandrum V. legitime fuisse creatum in Concilio Pisano à Cardinalibus. D. Gesnerus.

## CAPUT QUARTUM.

### APHORISMI

I. Autoritas Conciliorum Scripturâ Sacrâ major non est. *Contra Bell. lib. 2. de Concil. c. 12.*

Magnam Conciliorum esse autoritatem in præcedentibus diximus. Quandoquidem Ecclesia ab ipsis Apostolis fundata, & quæ postmodum per totum terrarum orbem propagata est, nullos inter homines quidem agnovit rectores & judices, quàm Episcopos, & Præsides in synodo legitime congregatos: quantacunq; tamen fuerit autoritas, *nullibi tamen absolutam à Deo potestatem esse traditam*, ut in controversiis Ecclesiasticis Prætoriâ autoritate pronunciare ausit, quâ aliis Ecclesiis *ἀπὸ θεοῦ* sit standum, sentiendum est: *sed tantum*



tum declarat & iudicat, quod Deus iudicat & iubet facere. Dei enim solius est præscribere fidei & vitæ normam, quam contra non est agendum, quod factum in Scripturâ sacrâ. Proinde plusquam hyperbolicum est, quod dicit *Gregorius lib. 1. Epist. 24. Regist.* se venerari quatuor prima Concilia, ut quatuor libros Evangeliorum, idq; etiam in *Iure Canon. dist. 15.* repetitur; Cui suis distinctionibus frustra conatur *ὁφθον* *Ὁφθων* parare *Bellarmin. lib. 2. de Concil. c. 12.*

II. Concilia Generalia à Pontifice Romano Congregata & Confirmata errare possunt & in fide & in moribus. *Cont. Bellar. l. 2. de Conc. c. 2.*

Exorbitant enim à Scripturâ sacrâ, quæ norma Conciliorum *Esa. 8. 20.* Et si errare in causis fidei iudicandis non possent, tum omnes definitiones essent *θεόπνευστοι* & Canonicis scripturis pares. Scriptura enim est *θεόπνευστος*, & sic nihil inter decreta Conciliorum & scripta Prophetarum & Apostolorum foret discriminis, quod aperte falsum. Et cur Pontificis approbatione Concilia ab erroribus essent immunia? Cum ne *integrum Sacerdotum Synedrium* ab omni erroris periculo liberum fuerit? *Es 56. 10.* ubi expressè dicitur, quod omnes in universum sacerdotes errores spargant & mendacia, *Ier. 6. 13.* A Prophetâ usque ad sacerdotem cuncti faciant dolum, *Ezech. 22. 25.* Constant autem & Papistarum synodi ex Sacerdotibus. Nec enim est penes Principes & Sacerdotes Summos Concilia ab errore eximere aut libera conservare, cum & ipsi erraverint. *Aaronis & Uria* exempla sunt notissima, *Exod. 32. v. 2. 4.* confer *Deut. 9. v. 20.* *2. Reg. 16. v. 11.* Et *Exemplis* clarum est, aliqua fuisse Concilia, quæ vel in substantiâ dogmatum, vel in circumstantiis Politicæ Ecclesiasticæ & moribus hallucinata sunt. In Concilio illo splendidissimo *Matth. 27. 1.* omnes Concilium Principes inibant, ut Christum interficeret, quod ita torquet aliquos Pontificios, ut quò se vertant nesciant, aliis *Caipham* nò fuisse Summum Sacerdotem dicentibus sed Christum, quod repugnat assertioni *Johannis c. 11. 15.* aliis alia effugia quærentibus; vide *Coll. Ratisb. sess. 1. §. 2. In Niceno II.* cultus imaginum idololatricus



tricus, *In Lateranensi* commentum Transubstantiationis, *In Constantiensi* ποτηροκλεψια introducta est. Neg. a. verum est quod dicunt, Judæorum Pontifices & Concilia non nisi post Christi adventum errare potuisse. Refelluntur n. ex scripturis & Josepho. Quandoquidem diu ante adventum Christi populus in tenebris & umbrâ mortis jacuerat, *Esa. 9. v. 2. Matth. 4. 16*; nec Petrus duntaxat Conversationem πατρω- & παδοτον dicit vanam; sed ipse quoque Christus traditiones Seniorum gravissimè coarguit, *Matth. 15. 3.*

III. Etiam particularia Concilia à Romano Præsule approbata in fide & moribus errare possunt. *Cont. Bellarm. l. 2. c. 5.*

Concilium *Neocesariense* fuit ipso Niceno Concilio antiquius, à Leone IV. approbatum & confirmatum, ut patet in *Decr. Jur. Can. dist. 20. Canone de libellis*. Jam v. hoc Concilium erravit, dum *Canon. 7. secundas Nuptias damnavit*. Prohibet n. Presbyterum interesse convivio secundarum Nuptiarum, his verbis: *πρεσβύτερον εις γαμους διγαμέντων μη δια- δια &c.* quibus verbis aut damnavit prorsus secundas Nuptias, aut eam maculam iis asperxit, quæ aliquid in iis vitii inesse innuat: hæc a. nuptiæ à Sp. S. sunt probatæ, *Rom. 7. 3. &c.*

IV. Concilia sunt supra Papam, seu: Major est auctoritas Conciliorum quam Papæ. *Cont. Bell. l. 2. d. Conc. c. 13.*

*Matth. 18. v. 17.* remittimur ad Ecclesiam. Dicunt a. illi; Ecclesiam representari in Concilio; si v. Ecclesia supra Papam E. & Concilia. Petrum a. etiam, pro cuius Successore Papa se venditat, in causis levibus & privatis huic mandato submitti, extra dubiū est, ob generalitatē præcepti, quod omnes in universum fratres Christi, *Matt. 12. 49.* maximè v. eos, qui κατ' ἐξοχὴν fratres in Christo, imò VICARII Christi audire cupiunt, attinet. Videatur *Canon Concil. Constant. sess. generali 4. & Basiliensis repetitus sess. 18.* Quin imò unicum hoc Conciliorum præ Papam superioritatis argum. satis sit, quod factò ipso Episcopi Romani à Synodis condemnati fuerint: *Conciliū Constantiense solenniter è sede Papali Iohannem XXIII. commemoratis ejus criminibus pluribus quàm 24. sessione XII. die 29. Maij.* Quæ omnia carthæ & temporis Compendium facturi, hac vice demonstrare pluribus supersedemus.

SIT LAUS ET GLORIA CHRISTO!



Ec 553

ULB Halle 3  
003 144 577



7

TA 502


VII 17











B.I.G.

Farbkarte #13

כנהלים

ΔΟΓΜΑΤΙΚΗ

# CONCILIORUM ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

Potissimum Roberti Bellarmini libris duobus  
de Conciliis scriptis

*Opposita*

&

IN CELEBERRIMA ACADEMIA WITTEBERGENSI

Sub Præsidio

*Reverendi Admodum, Clarissimi & Excellentissimi  
Viri*

DN. PAULI RÖBERI SS. Th. D.


& P. P. celeberrimi, Pastoris & Superintenden-  
dentis in Circulo Electorali Generalis vigilantissimi, Syne-  
drii Ecclesiastici Adessoris gravissimi, Dn. Præceptoris,  
Fautoris ac Promotoris omni observantiæ cultu  
studiosè devenerandi,

*Publicè ad placidam disquisitionem instituendam  
proposita,*

In Profesto Eucharisticæ Solennitatis, ob insignis Victoriae  
propè Lipsiam An. 1631. d. 7. Sept. à Serenissimis Do-  
minis ac Heroibus, Rege Sueciæ & Electore Sa-  
xonix, obtentæ, memoriam institutæ,

M. JOACHIMO CRUSIO Hallensi Saxone.

*In Auditorio Majore.*



WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,  
ANNO M DC XXXII.

*Viri Amplissimi (Luce) Consultum ac Excellentissimi  
ma Ræprio I. U. P. ac Bicameræ Hallensij Rectori  
sori gratissimum, Inno. Promotori ac Fautoris suo a. m. b. Co  
mitto M. C. A. R.*

